SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA

Italien (?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 196r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.iij.

Nam celestis curia tanta est pace beata ut cum sint
ibi innumerabilia agmina omnium tamen voluntas est
una nulla umquam contrarietate turbata Celestia omnia
corpora tanta admirabili sunt pace coniuncta quod quamvis
erratica sidera motui celesti pro virtute natura
sint obviancia nulla ex hoc generatur discor-
dia Sed quedam ut dicitur delectabilis armonia
Item quando planeta unus circulum subintrat alterius sicut
probatur esse in aliquibus nulla ex hoc discordia nas-
citur. Sed potius maior confederatio generatur
in tantum ut planeta qui est de sua natura mali-
volus a sua malicia permutetur ut infra dicetur
Item animadvertendum quod pax sit contrariorum conciliatia
Ubi enim maior contrarietas est quam que in elementis
esse apparet quorum unum est summe calidum alterum summe
frigidum tercium summe humidum. quartum est summe siccum
Et quamvis ista sic sint sibi contraria simul tamen com-
ponunt omnia inferiora hec corpora pace admirabile
invicem unita. Item in quo dixi superius amplius esse potest
quod spirituale et corporale mortale et inmortale visibile
et invisibile palpabile et inpalpabile Sed quomodo
sunt talia corpus et anima que tamen tanta pace sunt counita
ut simul constituant unam et eandem personam nec separa-
ri possint nisi actione penitus violenta et separata
esse appetunt naturaliter counita. Tanta etiam est
pax et unio anime atque carnis ut ex dispositione
membrorum corporis firmantur pronostica iudicia
de affectibus mentis sicut Aristotiles dicit Nam ac-
cidencia anime sepe variantur secundum accidencia corporalis
substancie mutue Exemplum in vino albo ad hoc acci-
pitur quod ex vitro rubeo cum infunditur rubore
perfunditur et ipsius colore coloratur Miro enim
modo anima corporis in suis passionibus mutatur ut cum
ipsa non bibat nec comedat neque dormiat amore
tamen sui corporis ista maxime appetit. Verum est enim quod
in principio de animabus plenius dicetur quod bona dispositio corporis